: A° Dni 1601. Febr: 17°. ~ . ~ .

Humor ingenioſorum melancholia.

QVicquid in Auſonio, quicquid ſermone Pelaſgo
Venturos Genius voluit ſupereſſe per annos,
Totum illud, totum (de doctis docta vetuſtas
Non male teſtatur) bili dependitur atræ.
Hæc ex Democriti puteo, —ciſq; lacunis
Eruit occultas Naturæ Oracula caut—
Hæc Cœlo natas de cœlo devocat artes.
Siccine? Num Cœlis aſpirat terreus humor?
Num frigus faciles rapit ad ſublimia motus?
Cur igitur ſtolidum, porrectis auribus, horrens,
Tardigradum, deforme pecus, cur non ſapit? Ecce
Ille melancholicus defixus lumina terræ,
Obſtipum, nutanſq; caput, cilitumq; ſeverum
Qui rotat, impexoq; retorquet brachia nodo,
Vſque tacens, (nec enim ſcit fari rite,) graduq;
Tardus, vt ingenio, cur non ſapit ille? vel ille
Qui miſerè nigræ tortus vertigine bilis
Aut vitreum ſeſe eſſe putat (ſic plurima fando
Hauſimus) aut granum: vel viſis aufugit vndis.
Aut naſo anguſtas clamat protrudere valuas.
Ille, inquam, verè vitiata bile laborat
Hæc qui non novit diſtinguere. Scilicet iſta
Sub triplici tinctura modo eſt. Aſinina, Ferina,
Ingenioſa. Prior gelido cum phlegmate torpens,
Ingenium fatuo fugat obrepente veterno.
Altera, temperies non eſt, ſed morbus aduſti
Ex hypochondriaca revocati ſede veneni.
Tertia ſola meis adhibetur verſibus. Hæc eſt
Aurea temperies, reliquis ex partibus æqua,
Paulatim in ficcæ vergens denſamen arenæ,
Quam Stagirita Sophos Sophiæ ſignavit honore.

ERGO:

Sicui (ſed ſunt queis) niger humor ſordeat, illo
Haud ingens, ſed & haud ingenioſus erit.

comencem^t.